

sectam suam se eum abducere posse. Ab his itaque frequenter ad eum venientibus multa de eorum erroribus cognovit, unde et librum postea contra heresim hanc edidit insignum (!) rationibus quibus errores Katarorum confutavit evidentissime. Manifestati itaque et convicti per ipsum et deprehensi in erroribus suis, qui erant Magoncie, eiecti sunt de civitate universi, uno excepto qui heresiarcha inter eos fuerat et magister annis pluribus, qui errorem suum detestatus ad fidem catholicam rediit, Deo gratias agens de anime sue a morte liberatione. In diebus illis cum eius vita laudabilis celebris ab omnibus haberi cepisset et iam virtutum eius insignia ubique nota fierent, dominus noster, quem toto corde desiderabat, quasi nolens eum ultra in huius seculi erumpnis fatigari, de eius laborioso certamine eum feliciter eduxit. Ante biennium vero cum de hac vita esset transiturus, audite sunt voces in cenobio prefato a fratribus et sororibus, per quas poterant futuram eius mortem pernoscere. Anno quoque isto, quo finivit istam vitam, in festo palmarum¹, cum se ante crucem dominicam, sicut moris est, prosternere deberet, ipsa sancta crux non aliquo vento neque aliquo impulsu mota ante ipsum in faciem cecidit, unde nimis ipse et nos exterriti sumus, admirantes quid ista portenderent. Alia quoque plura prodigia nobis sunt ostensa: per que potuissemus advertere magnam nostri loci desolationem. Sed non sperabamus aliquid tale eventurum, quia adhuc in etate satis matura beatam vitam ducebat, sed heu, quasi raperetur a nobis, ita insperate ablata est amabilis facies eius a nobis, et sana doctrina, qua multorum corda confortaverat, obscurata est et quasi ad nichilum redacta. Cum enim libellum quendam contra Iudeos de domino Iesu et eius pia matre edidisset et iam in finem conclusionem aptare deberet, antequam perficeret ipsum opus, quasi subito elapsa est a nobis margarita nostra, decidit vultus eius quasi lilium, quod, cum florem suum emiseric, cito marcescit, et dolorem omnibus nobis intollerabilem de suo excessu reliquit. Quis enim se a dolore continere posset, cum talem virum, cui quasi columpne firme et stabili innitebatur ecclesia nostra, infelix mors nobis violenter abstulit (sic!)? O odiosa mors, quantum nos tua infelix calamitas de huius beati viri transitu perturbavit. Sed nostra infelix calamitas, eius ut ita dicam felix felicitas fuit, quia de huius mundi turbinibus eductus, stola immortalitatis et iocunditatis est indutus. Pro paupertate, quam amabat, divicias glorie consecutus in eterna gloria quiescit in pace, cum his qui reliquerunt omnia et secuti sunt Dominum.

1) Am 25. März, wenn wir mit Widmann in dem angef. Programm S. 9, 1184 als das Todesjahr annehmen. Der Todestag ist der 28. März. W.